



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

18. Decembris. Suâ semper veritas luce splendet, ubi mendacium tenebris offunditur, sed his castigandis sola rei præsentia sufficit. S. Ignat. apud Bart. l. 2. f. 174.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



**H**umana consilia bis fallacia sunt ;  
 primùm, quia rarò sincera , dein,  
 quia fragilia ; solis absque metu niti pos-  
 sum, quæ à mente suprema veniunt ; illis  
 enim nec fidei quidquam deesse potest,  
 nec soliditatis.

Multi sunt authores operis imperfe-  
 cti ; quia , cœlo multi non consulto ,  
 telam ordiuntur : non speret bonum  
 negotiorum finem , nisi à primo ea prin-  
 cipio quis incipiat, Hoc negligere est er-  
 rare.

Rogari vult Deus, ut suum tenebris no-  
 stris lumen affundat , sinè quo densa in ca-  
 ligine palpitamus omnes ; etiam sapien-  
 tissimo non unam ambitio , & sui amor,  
 umbram offundit.

Inconsulta nostra molimina ridet Deus,  
 quæ dum fervent maximè , dum opti-  
 mo successu portum videntur respicere,  
 subsidunt. A Babyloniis disce architec-  
 tæ quid turrim , cœlo adverso , ædi-  
 ficare profit.

18. Decembris.

*Suâ semper veritas luce splendet, ubi men-  
 dacis*



*dacium tenebris effunditur, sed his casti-  
gandis sola rei presentia sufficit. S. Ignat.  
apud Bart. l. 2. f. 174.*

**Q**ui mendaciis occultare veritatem  
volunt, telas texunt araneorum;  
frustra ingenium eviscerant, quisque ven-  
tus dissipabit malè connexa retia. Quàm  
parum ignis in sinu, tam parum diu potest  
latere veritas in recondito.

Bellum cedro movere venti possunt,  
assibilare, folia commovere, frondes con-  
cutere, solitæ obesse paci possunt, à  
recto avertere tramite, aut evertere non  
possunt; pari nititur radice veritas, non  
everteretur.

Si veritas à parte tua sit, non est, quod  
ullum, non quod mille timeas: una recti  
conscientia contra mille te defendet ad-  
versarios, & structos contra te cuniculos,  
ubi eruperint, in fumum mittet.

Non solet latere veritas: in sole posuit  
tabernaculum suum, amat publicum, fru-  
stra simulas? etiam, te nolente, theatrum  
subit veritas, quam si lingua neget, frons,  
oculi, rubor prodent.